tati, quæ seculũ spernit. Conuictum atq; commercia deo digna sectare, memor illius uersiculi, sanctificati per Apostolum:

Menander, Φθείρουσιν ἤθη χρηστ' ὁμιλίαι κακαί. Bonos corrumpunt mores, congressus mali.

Loquaces, otiosæ, uinosæ, curiosæ contubernales, uel maximè proposito uiduitatis officiunt. Per loquacitatẽ inrepunt uerba pudoris inimica: per otiũ seueritate deducunt: per uinolentiam quiduis mali insinuant: per curiositatis æmulationem libidines conuehunt. Nulla huiusmodi fœminarũ de bono Vniuiratus loqui nouit: deus enim illis (ut ait Apostolus) uenter est, ita & quæ uentri propinqua. Hæc tibi iam hinc cõmendo, conserua charissima, post Apostolum quidẽ ex habundanti retractata, sed tibi etiam solatio futura, quod meam memoriam, si ita euenerit, in illis frequentabis.

Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTVLLIANI, LIBRI PRIMI AD VXOREM FINIS.

ARGVMENTVM LIBRI SEQVENTIS, PER BEATVM RHENANVM.

Vlieres quædam Christianæ præsertim locupletiores, defunctis maritis suis, ambitionis ac gloriæ studio, gẽtilibus nubebãt, quas Christianorũ pudebat ut humilium & tenuium. Nam tum rerũ summa adhuc apud ethnicos erat. Illi regnabant, præsidebãt, dominabant. Christiani alieni ab omni rei publicæ administratione uiuebãt, imò uerius latebant sola modestia noti. Itaq; cum uideret indecens istud renubentium mulierum exemplum, hoc posteriore libro præmoniturus uxorẽ suam, de mulieribus illis disserit, quæ sibi gentiles maritos iungebant, ostendens hoc impiè factũ, & præter Pauli sententiam, qua se tuebantur illæ. Mox cõmemorat impedimenta, quæ contingũt ex huiusmodi coniugio, dũ non libere licet obseruationibus Christianismi uacare. Quo loco præcipua nostræ religionis studia ac officia recenset, quibus illa ætas usa est, de Statione, de leiunijs, de Processiõe, quæ referebat ludaicum populum obuiũ Christo factũ, & Apostolos exeuntes in montem cũ Christus in cœlos ascenderet, De uisitatione fratrũ, hoc est, Christianorũ male affectorũ, De peruigilio Paschæ: quod ,ppterea celebrari putat Hieronymus, quia ludæorũ traditio sit, Christũ media nocte uenturum in similitudinem Ægyptij temporis. Vnde reor, inquit ille, & traditionem Apostolicam permansisse, ut in die uigiliarum Paschæ ante noctis dimidium populos dimittere non liceat, expectantes aduentũ Christi, & postq̃ illud tempus transierit securitate præsumpta, festũ cunctis agentibus diem. Meminit præterea de dñico cõuiuio, de uisitandis captiuis, de exosculatione fratrum, hoc est, Christianorum: de ablutione pedum, de cõmunione Eucharistiæ, de hospitalitate, de signo crucis, de precatiõe nocturna: de eu-

Processio.

Peruigilium Paschæ.

charistia

charistia, quæ priuatim ante omnē cibū sumebat, de sacra Christianorū cantillatione. In fine matrimoniū laudibus uehit, quo Christiana Christiano copulatur. Nimirum quod tunc Christianismo satisfacere liceat, cum (ut ipsius utar uerbis) libere æger uisitatur, indigens sustentatur, eleemosynæ fiunt sine tormēto, sacrificia sine scrupulo (uidelicet dum uxori suæ nō timet præsens ipse quoq; in sacrificio maritus) Cottidiana diligentia sine impedimento, Non furtiua signatio (nam mulier Christiana nō audebat Gētili marito spectāte, se signare, sed furtim hoc faciebat.) Non trepida gratulatio (quia mulier salutando Christianū, adulterij suspicionem mouebat gentili marito.) Non muta benedictio: nam apud maritū ethnicū non licebat prolata uoce Christo gratias agere. Id quod ipse exponit, cū subdit, Sonant inter duos psalmi & hymni, & mutuo prouocant quis melius deo suo canat.

ANNOTATIONES IN LIBRVM SEQVENTEM.

VITAE supremi præsidij.) Tu scribe, uice supremi præsidij.

Hanc motionem fors fidelibus inuinctis simpliciter intelligendū.) Suspicor legendum, Hanc monitionem fors infidelibus iam iunctis simpliciter intelligendā. Aut fidelibus iam iunctis. Intellige uero, Hanc monitionem, hoc est, secundū hāc monitionem, uel per hanc monitionem. Nam sic subinde Græcissat Tertullianus.

Non dicit uxorem duci infidelem.) Castigaui, ducit.

Christus cecinit.) Vide num legi possit, Spiritus cauit. Ne quod, ait, Cui uelit nubat. Forte scribendum Christi sanctus præcauit, Vt apostolū Paulū intelligas.

Ille igitur Christus sanctus.) Rursus legendum, aut spiritus sanctus, Aut potius, Ille igitur Christi sanctus, hoc est, Paulus.

Abiecit pondus legis suæ tantum.) Correxi, Adiecit pondus legis suæ, Tantū. Ego tamen malim, legi suæ.

Detractata & experta sententia.) Opinor legendum, retractata.

Hæc tria sunt.) Conijcio pro tribus istis dictionibus, Hæc tria sunt, unam substituendam, nempe, Hactenus, & sic legendum, Hactenus, fideles Gentilium matrimonia subeuntes, stupri reos esse constat. & cætera. Hactenus, hoc est, quātum ex Pauli doctrina colligimus. & quatenus illi non satisfit. Posset etiam legi, Hæc si ita sunt, fideles.

Et uulnera, ut dixit, fidei.) Legendum opinor, ut dixi, ut alludat ad id quod supra ait, Quis enim, inquit, intelligere possit pericula multa & uulnera fidei &c.

Quanto magis coniunctus & indiuiduus usus.) Correxi, conuictus, & indiuiduus usus.

Sed uiderit qualiter uir officia pendat domino. Certe non p.) Castigaui, Sed uiderit qualiter uiro officia pendat. Domino certè non potest.

Quis ad conuiuiū Dñicum illud, quod infamant.) Nam gentiles mētiebantur Christianos iugulati infantis sanguine panem quē Eucharistiā uocarent satiare, & sic eo uesci. Deinde extinctis candelis per canes, cum matribus & sororibus promiscuam exercere libidinem. Eas tenebras caninas in Apologetico uocat. Exponit autem id quod dixi, ibidem hijs uerbis, Dicimur, inquit, sceleratissimi de sacramento infanticidij, & pabulo Iudæ, & post conuiuium incesto, quod euersores luminum canes, lenones scilicet, tenebrarum, & libidinum impiarum inuerecundiam procurent.

De dominico Christianorū conuiuio, Gentiliū fœda mēdacia.

Caninæ tenebræ.

De cibo, de poculo inuadere, desiderare.) De usu primitiuæ ecclesiæ circa sumẽdam Eucharistiam loqui uidetur. Huc pertinet quod paulo post sequitur. De cuius manu desiderabit? de cuius poculo participabit?

Horreum poma præclusa sunt.) Scribe, horreum, pena, præclusa sunt. Nam dicimus etiam hoc penum, in secunda declinatione pro penu. Nec enim libet legere, pomaria clusa sunt.

Sub continentia iustorum sumus.) Castigaui, istorũ, Posset etiam legi, ipsorũ.

Quod beneficiorum eorum est.) Malim, quod beneficiũ eorum est.

Vt patiens in conflictationem tui.) Scribe, aut in conflictationem tui. Nam de est, aut, particula.

Et nõ Magiæ aliqd uideris opari.) Malim uideberis. Siquidẽ præcedit, latebis.

Non illum credit esse qui dicitur.) Conijcio legendum, qui benedicitur. Tertullianus in Catalogo Hæreseon, Ipsum, inquit, introducunt ad benedicendas Eucharistias suas.

Obiectionem nominis.) Melius est legere, Obiectione nominis, hoc est, ppter obiectionem nominis. Intelligit autem hic per, nomen, pfessionẽ Christianam.

Scilicet apud arbitrum speculatorem litigaturi.) Hinc satis liquet, qua arte gentiles mariti mulierũ Christianarũ quæ diuites forent, soliti fuerint argentũ emungere. Nempe subornabãt ipsi speculatorem cum illo prius pacti, qui diceret se delaturum ad præsidem de muliere Christiana, nisi quamprimum postulatam pecuniam numeraret. Eam summam deinde maritus accipiebat, donans aliquid speculatori, & simulans se uix impetrasse, ut pecunia placatus, rem non proderet. Paulo post alium atq; alium speculatorem submittebat. Vocat autem speculatorem, exploratorem, qui passim inquireret eos, qui se Christianæ professioni addixissent. Et habebant Præsides indicij causa huiusmodi speculatores, siue Delatores, quorũ in sequenti libro cui titulus est De fuga in persecutione, semel atq; iterũ meminit, sicut & Militum & Concussorum. Porrò quum speculatoris sit indicare tantum & renunciare, hic autem in uxorem Christianam ex composito submissus, de re ipsa transigat, eleganter arbitrum appellat quum dicit, scilicet apud arbitrum speculatorem litigaturi. Hoc quod modo retulimus, facit ad intelligentiam tam præcedentium quàm sequentium. Alioqui posset etiam intelligi ipsos maritos & arbitros & speculatores fuisse, functos utriusque officio. Nam sequitur paulo post, Minus mussitet, minus speculetur. Idem sensus erit, si peculatorẽ legas.

Speculator.
Delatores.
Milites.
Cõcussores.

Re exæruscata.) Aut re excruciata.) Suspicor scribẽdum, aut re exæruscata. Significat enim æruscare, æra, id est pecunias undiq; colligere, quẽadmodum docet Festus. Vnde cõpositũ exæruscare. Æruscatores homines appellat Aul. Gellius diuinaculos & ariolos, quod fallacijs quibusdam rem parent. Erant igitur æruscatores Christianarũ uetularum gentiles mariti, miris technis illarũ pecuniam exæruscantes, extorquentesq;. Sic enim malim legere, cũ re excruciata, hoc est, afflicta, uel per crucẽ extorta. Porrò res hic censum significat.

Re exæruscata.
Aeruscare.
Exæruscare.
Æruscatores

Et procedit de ianua laureata.) Ethnici ianuas suas laureis nonnunq; ornabãt. Tertullianus in De corona militis, Atenim, inquit, Christianus nec ianuam suã laureis infamabit, si norit quãtos deos etiam hostijs diabolus finxerit, hoc est, ianuis. Sic enim illic legendum, non hostis, id est, inimicus.

Sæpe in opinionis.) Lego, Sæpe in popinis. Sunt autem Popinæ tabernæ in quibus coci publici dapes coctas & uinum uendunt. Significat enim popina proprie culinam publicam. Vnde Popinionum nomen. Sequitur autem paulo post, Audiat sanè, audiat aliquid de scæna, de taberna, de gehenna. Quod ergo popinã hic appellat, ibi tabernam dicit.

Popinæ.
Popiniones.

De cuius

De cuius manu desiderabit? de cuius poculo participabit?) Diximus supra uideri hæc intelligenda de Eucharistia, secundum eius temporis usum.

Audiat sanè audiat aliquid dei cœna, de taberna.) Censeo sic legẽdum, Audiat sanè, audiat aliquid de scena, de taberna, de gehenna. Porrò modo potẽtiali dictũ est, Audiat, Q.D. Fieri non potest quin in huiusmodi gentilium conuiuijs & uinolentiæ locis mulier Christiana audiat aliquid scænicum, & tabernarium, & diaboli cum, siue gehenna dignum.

Vbi diuina benedictio?) Intelligit de Psalmis & Hymnis. Nam infra, Non muta, inquit, benedictio. sonant inter duos Psalmi & Hymni. *Benedictio.*

Ad terrendæ salutis à malo immissa.) Scribe, adterendæ saluti à Malo immissa, hoc est, extinguendæ, ab atterendo.

Hæc si ei quoq; euenire.) Malim eis. & mox, morantur, non moratur.

Nam & ad aliquam quæ uirtutẽ cœlestem documẽtis dignationis alicuius uocatus.) Non caret mendis hic locus. Dicam quid ego sentiam. Opinor legẽdum, Nam & ad aliquam ueluti uitam cœlestem documentis dignantioris alicuius uocatus, terrori est gentili. & cætera. Vt uocatus gignendi casu sit dictum iuxta quartam inflexionem, pro uocationis.

Minus sit & minus speculetur.) Tu scribe, minus mussitet, minus speculetur. Mussitare, murmurare significat, & secretò loqui. *Mussitare.*

Scit meliorem factum.) Malim, factam, ut de muliere intelligas.

In quos dei gratia.) Melius fortassis legas, Inter quos dei gratia. Et paulo post, inserunt, pro inferunt.

Hoc signi erit ut solis.) Nihil hic reperire potui quãlibet annixus quod admodum arrideret, nisi uelis legere, Hoc signi ex titulis.

Vt exerta eminent, ut arripiant.) Tu scribe, ut exterminent, ut abripiant.

Quasi reuera despectatores.) Hoc est, contemptores. Sic enim usurpat despectare, Vt paulo post, omnium hominum existimatione despectandum. *Despectator. Despectare.*

Quam huius amentiæ causam detineam.) Hic est illud uerbum, de quo dixi libro priori, ubi scriptum est, Insigniora ipsa carnis & seculi uitia detinens.

Nam quanto d.al.est cõmatrona nomine infl.) Conijcio legendum, Nam quãto diues aliqua est, eo matrona nomine inflata.

Vnde nisi à diabolo maritum petant? donum exhibendæ sellæ, & mulabus cinerarijs peregrinæ proceritatis.) Tu corrige & distingue sic, Vnde nisi à diabolo maritum petant, bonum exhibẽdæ sellæ, & mulabus itinerarijs peregrinæ proceritatis? Nisi sit cinerarijs à colore. Bonũ exhibendæ sellæ, & mul. hoc est idoneum, & qui huiusmodi res præstare possit. Nec ineptum porrò fuerit, Onerarijs legere, ab oneribus gestandis.

Pessimis de ignobilibus & mediocribus simul coniunguntur.) Restitue locũ hoc modo, pessimos de ignobilibus & mediocribus sibi coniungunt.

Rerum minori nubere piget, locupletiorem fugam.) Correxi, futuram. Dixit autem, rerum minori, pro minori rebus. *Minor rerũ.*

Simul uolutantur.) Hoc pœnitentiam respicit.

Alterutro ducentes.) Lego, docentes.

Quis m.deo suo canet.) Malim, cantet.

Vox illa sub benignitate intelligenda nobis reliquit.) Suspicor legendum sub ænigmate.

FINIS.

Q.Sept.